DE VOMITU GRAVIDARUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

LUDOVICUS FERDINANDUS THYM
POMERANUS.

OPPONENTIBUS:
J. SCHREIBER, MED. ET CHIR. DR.
R. SCHWARTZ, MED. ET CHIR. DR.
L. LEVIN, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

VIRO

SPECTATISSIMO, AMPLISSIMO, HUMANISSIMO

CHRISTIANO HENRICO STOBWASSER,

FABRICARUM PRINCIPI,

EQUITI ORDINIS AQUILAE RUBRAE,

VIRO

BENEVOLENTISSIMO, HUMANISSIMO

AUGUSTO SELLE,

PRAEDII EQUESTRIS POSSESSORI,

SUMMOPERE DE SE MERITIS,

VIRO

SPECTATISSIMO, HUMANISSIMO

GOEDEN,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO SUPERIORI IN ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA BEROLINENSI,

AMICO DILECTISSIMO,

DE SE MERITISSIMO,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Quamvis inter omnes constet, jam in conceptione sexum animantis orituri ovo imponi, attamen ante tertium graviditatis mensem etiam accuratissime observans diversitates utrorumque organismorum vix possit dignoscere. Diversitates corporis non nisi post hoc tempus cognoscas.

Tum demum differentiae conformationis magis perspicuae prodeunt, et jam formarum diversitate diversitatem functionum indicant. Sic jam propria puellae vita exorditur, moxque diversitas functionis, quae, primo leviter tantum indicata, usque ad evolutionis periodum

magis magisque exprimitur, naturam hominis absolutam completamque docet non repraesentari nisi in utriusque sexus conjunctione. Cum hac manifesta typi muliebris expressione concitatior organismi feminei reactio ex praevalente sensibilitate, ex facilius aucta systematis vasorum sanguiferorum vitalitate, ex teneriore aliorum systematum structura oriunda, consociata est.

Quae indoles, quamvis corpus femineum externis pulsibus nocivis omnique virium infestarum generi recipiendis magis subjiciat, eoque efficiat, ut facilius saepiusque mulieres morbis afficiantur: tamen eadem morborum muliebrium velocitatem minorem, decursum celeriorem reddit.

Itaque fieri solet, ut omnes quidem mulierum morbi magis ad passivam naturam inclinent, sed facilius etiam cum aliis morbis misceantur, quum aeque et vasorum et nervorum systemata uniuscujusque vitiosae con-

ditionis non expertia maneant, ac vis sympathica in organismo femineo praevaleat. Conditionum pathogeneticarum, quae in organismo muliebri propriam rationem atque naturam accipere solent, e numero sunt, quae saepissime et facillime alienationibus physiologicis soli mulieri propriis, graviditati, partui, puerperio superveniant, inter quas saepissime vomitus occurrit, de quo nunc paucis accuratiora quaedam dicere mihi proposui.

DE VOMITU IN UNIVERSUM.

Vomitus nominatur quaelibet sive durarum sive fluidarum e ventriculo per os redeuntium materiarum emissio, tam quae ad integritatem vitae servandam necessaria sit, ut animalium quorundam, quam quae, ut infantium lactentium exspuitio, quasi physiologico-pathologicus processus sit, sicuti quae mere pathologica morbi indicium praebeat.

Quodsi cognoscere conamur, quaenam organa vomitum efficiant, nec minus quae symptomata ei antecedant, quae eum comitentur, quae ei succedant: diaphragma, musculi abdominis, ventriculus, oesophagus, pharynx organa activa se ostendunt, atque id ita, ut primum motus vomitorii stadium contractio diaphragmatis musculorumque abdominis, conjuncta cum ictu pylori atque inflatione ventri-

culi efficiat; alterum relaxatio illarum partium una cum rapide subsequentibus et subinde se excipientibus oesophagi pharyngisque motibus constituat.

Priusquam autem evacuatio ipsa fit, in collo proprius sensus animadvertitur, qui, quamvis dolens nominari non possit, tamen perquam molestus atque injucundus est, quem nauseam appellamus. Hic sensus cum taedio quodam omnis cibi potusque generis junctus esse solet, atque id interdum tantopere, ut, qui eo crucietur, ne mentionem quidem illorum pati possit. Sedem hic sensus in uva, posteriore linguae parte, tonsillis, pharynge habet, atque excurrit deorsum sese circiter duorum digitorum latitudine in pectus extendens. Neque desunt, qui hanc sensus extensionem e nervi glossopharyngei ramificatione pendere contendant. Porro autem pressus quidam gravitasque in regione gastrica, praecipue dextrorsum in praecordiis, quae vulgo nominantur, nauseae accedunt. Huic sensui aestus atque dolor in syncipite apud alios antecedunt, apud alios succedunt, apud alios desunt. Ceterum, qui sensus in ventriculo exstant, praecipue in parte pylorica sedent, atque ejusmodi sunt, ut speciem molestissimae vacuitatis et intolerabile

tormentum parent, idque adeo, ut haec pars tanquam compressa et vellicata videatur. Interdum autem anxietas quaedam atque inquietudo, originem e pyloro ducentes accedunt, ut — quod ipse saepius observavi — qui emeticum ceperint, inquieti ambulent neque unquam cubantes vomitum exspectare possint. Porro non modo ventriculus vehementer prorsum compellitur cavumque ejus inflatur, sed etiam durus fit atque intentus, musculique abdominis valide introrsum adstringuntur. Una vero cum hac ventriculi duritie symptoma quoddam, quod ructus vocatur, apparet; effluit spiritus quaedam copia ex ore, quae inspiratione in ventriculum pervenit; lingua introrsum convexa cubat, caput pronum flectitur, os aperitur, symptomata vomendi repetuntur, vehementissima nausea, ructu, sapore malo, horrore, vomituritione rapide continuo se excipientibus, donec tandem vomitu materiae ex ore emittuntur.

His, quae modo enumeravimus, symptomatibus vomitui antecedentibus, quae, quum integrae processus vomitorii partes sint, non inepte praenuntios vomendi dixeris, interdum etiam alia minus gravia signa accedunt, quae partim ex organis la-

borantibus focisque nervorum ad illa pertinentium, partim mechanico modo oriuntur. Sunt autem oscitatio, tremor membrorum, etiam labri inferioris, distentio, lassitudo artuum, vertigo, lacrimatio oculorum, profluxus narium, inflatio faciei, quorum symptomatum gravissima diligentius persequi conabor, quoniam hoc non alienum a consilio meo esse mihi videtur.

Oscitatio est spirandi genus naturae non consentaneum, quippe inspiratio et exspiratio lentius atque ore aperto fiunt. Quum autem vera respirationis causa in medulla oblongata insit, in eadem oscitandi quoque causa ponenda est. Contra qui sensus necessariam respirationem reddit et, quod inde sequitur, spirandi studium sedem suam in cerebro habent. Necessitas quidem spirandi e nervo vago originem trahit, quum hic pulsum exceptum ad cerebrum perducat, qui pulsus hoc loco quum imaginem, tum voluntatem parit, ut motus necessarii medullae oblongatae, ad quam nervi motorii confluunt, conficiantur. Praecisio nervi vagi hujus rei documentum est, quo interciso neque necessitas a cerebro sentitur et incitatio motus ex illo oriunda desinit, motu nihilominus per aliquod tem-

pus durante certumque ordinem servante secundum legem perpetuam communemque, vires nervorum a centro eorum versus peripheriam adeo diffundi, ut major virium copia transeat, quam quae in partibus periphericis consumatur, quare haec per aliquod tempus efficax manere potest, etiam nulla nova affluentia subsequente.

Tremor autem est vitiosa musculorum motio, levi medullae spinalis irritatione effecta. Lacrimatio oculorum inde explicanda est, quod contentionibus vomitum elicientibus musculi faciales sursum trahantur, itaque palpebra inferior fortius ad oculi bulbum apprimatur, quo pressu lacrimae ex punctis lacrimalibns exprimuntur.

Huc accedit, quod omnia haec symptomata, vomendi prodromi, intermittentia apparent. Primo enim dolores ventriculi capitisque apparent modicamque vim nacti remittunt. Mox autem, symptomatis per aliquod tempus non apparentibus, illi redeunt acceduntque his oscitatio et distentio atque tussicula.

His nova intermissio, sed ea priore brevior succedit, quam indicia vomendi supra enumerata vomitusque ipse sequuntur.

Elucet ex his, vomitum esse processum morbosum, ut ex motionum corruptarum sensuumque vitiosorum serie quadam compositum, ita systematis nervorum vi procreatum. Est enim motus reflectens e viribus oriundus, quae sphaeram nervorum sensitivorum et motoriorum ventriculi et diaphragmatis irritant, sive haec irritatio in fine medio, sive in fine peripherico fit. Quum neque una neque altera pars sola incitetur, sed propter accuratum earum connexum ipsum utraeque eodem momento, altera quidem altera plus minusve corripiantur: momenta vomitum moventia omnia ad unum reduci possunt, scilicet ad irritationem organorum mediorum systematis nervorum.

Quare melioris intellectus gratia duo vomitus genera dignosci possunt, quorum primum vomitus protopathicus, alterum vomitus sympathicus nominatur.

I. Vomitus protopathicus is est, qui incitamento vomitorio sine ullo medio sensibiles nervos gastricos tangente oriri solet.

II. Vomitus sympathicus est,

aut qui idiopathica organorum mediorum systematis nervorum affectione cietur,

aut cujus motus reflectens ex alius organi incitatione originem ducit.

Itaque copia illa universa perquam variarum vomitum cientium rerum ad haec modo dicta referenda est, jamque qualia per graviditatem, partum, puerperium mulierum existant, diligentius perquiramus.

DE VOMITU GRAVIDARUM.

Non ignotum est, mulieres non ita multo post conceptum vomitu tentari, unde quidam medici obstetricii, minus recte quidem, eo perducti sunt, ut vomitum pro certo conceptionis signo habuerint. Quodsi enim causam vomitus coitu foecundo excitati diligentius persequimur, hanc reapse non in conceptione, sed multo magis in anomala nervorum incitatione e concubitu oriunda ponendam esse nobis patescit. Inde sequitur, ut causa vomitus gravidarum saepenumero nulla alia sit, quam quae non raro vomitum quem dicunt nervosum adducat, cui, quoniam hic eum commemoravimus, hoc ipso loco spatii aliquid concedamus, etiamsi propter

rerum efficacium diversitatem postremo pertractandus erat.

Vomitus idiopathicus sive nervosus gravidarum easdem causas quas omnino vomitus nervosus habet, cujus vera origo in anomala nervorum incitatione sola inest, quae aut protopathica est, ubi ex affectione nervorum ventriculi, aut centrica, ubi ex affectione organorum mediorum systematis nervorum originem ducit, aut denique ex affectione ramorum quorundam nervorum periphericorum oritur.

Causis vomitus protopathici, qui peripherica nervorum sensibilium atque motoriorum dilatatione procreatur, quaevis nociva contenta atque irritamenta ventriculi, pyrosis, vermes, venena, sanguis, pituita, bilis, cibi potusque crudi, status grastricus, inflammatio, constitutio perturbata, scirrhus, exulceratio, dislocatio, emollitio, ulcera ventriculi ádscribenda sunt.

Res principales genesis vomitus sympathici, ut jam supra diximus, duplices sunt, tum affectio idiopathica organorum mediorum systematis nervorum, tum incitamentum motum reflectentem efficiens ex alio organo ortum.

Primo generi praecipue incitatio systematis nervorum affectibus animi, gaudio, dolore, risu vehementi, singultu, malo hysterico, hypochondria, vertigine producta attribuenda est. Vomitui sympathico autem ea systematis nervorum commotio adscribitur, quae sive hepatis, lienis, pancreatis, alvi, renum, uteri, ovarii, testiculorum morbis, sive calculis biliosis renalibusque, seu morbis pulmonalibus, seu graviditate, seu partu efficitur.

Vis vomitus alia est per graviditatem, alia per partum, alia puerperii tempore. Saepenumero enim vomitus non magis per universam graviditatem quam intra tertium quartumque partus spatium gravitate plane carens adest. Contra medicum attentissimum esse oportet diligentissimeque gravidarum statum observare, quando vomitus aut magnam vehementiam ostendit, aut justo saepius redit, praecipue autem ubi cum statu spastico se conjungit, quippe quem sympathiam systematis nervorum indicare constat.

Secundum diversas graviditatis periodos causam nostram in tres partes dividere placet, ita ut prima vomitum intra graviditatem, secunda vomitum intra

partum, tertia vomitum intra puerperium complectatur.

VOMITUS PER GRAVIDITATEM.

Saepenumero permagnum gradum assequitur atque interdum tam continuus est, ut gravidae eum vix tolerare possint atque in periculum incidant. Saepe gravidae post quamque coenam cibos ejiciunt atque interdum fit, ut, etiamsi nihil ciborum in ventriculo insit, vomituritio summo cum angore atque cruciatu et cum omnium virium contentione sudorisque eruptione conjuncta persistat. Neque raro inter hanc diuturnam vomituritionem acor ventriculi gignitur, alvo plerumque tarda. Quamvis autem nulli medico ignotum sit, gravidis tantum perexiguo victu opus esse graviditate ineunte, vomitumque iis hac ipsa re per aliquantum temporis tolerabilem reddi, attamen nullum quoque fugere potest, nutritionem earum, hoc statu diutius manente, valde inhiberi. Corpus enim succussionibus contentionibusque continuo redeuntibus non fatigari non potest. Musculi enervantur, facies pallescit conciditque, vultus languidus, nubilus,

anxius, color luteus existit: ut brevi dicam, gravi morbo correptarum habitus exstat. Nascitur quoque permagna praecordiorum sensibilitas adversus omnes externos tactus, eaque tanta saepe, ut ne consueta quidem tegumenta atque vestimenta sustinere possint. Quodsi medici opera vomitui sistendo tollendaeque concitationi systematis nervorum cum illo connexae navata, non modo non ita succedat, ut melior nutritio efficiatur, sed etiam vehementia spatiumque vomitionis augeatur: vomitus saepenumero partus praecocis fit causa.

Quod ad causas vomendi attinet, vomitus triplex est.

Oritur enim:

aut ex aucta ventriculi tractusque intestinorum irritabilitate,

aut ex praevalida plethora abdominali,

aut ex vitiosis conditionibus sive organicis sive mechanicis.

Vomitus ex aucta ventriculi tractusque intestinorum irritabilitate, cujus causa in permutato plexus nervorum abdominalium statu, qualis graviditatis primordio accedere solet, ponenda est, saepissime statim a conceptu adest, neque raro pervehemens

ad quartum quintumve graviditatis mensem constat. Saepe frustra eum reprimere conaberis, quoniam non raro omnibus medicamentis resistit. Inprimis gravidae hystericae huic vomitui obnoxiae sunt, utpote apud quas irritabilitas systematis nervorum praepotens sit.

Si vires gravidarum vomitu plane consumuntur, praecipue etiam aliis morbis supervenientibus, est quod mortem earum metuas. Interdum etiam fit, ut hic vomitus cum picis rarissimis junctus cernatur.

CURATIO.

Nihil medico hunc vomitum sanaturo antiquius est, quam ut victus rationem firmiter constituat; saepe enim diaeta sola, nullo remedio adhibito, vomitum opprimere valet. Severe igitur cibos pingues inflantesque vetes, attamen caveas, ne propriam experientiam consulere obliviscare. Etenim fit interdum, ut nulla alia, nisi contraria curandi ratio probari possit, cibis facilibus ipsis vomitionem augentibus, gravibus contra, imprimis acribus

acidisque cibis vomitum mitigantibus. Sic factum est exempli gratia, ut gravidae, vehementer ex vomitu laborantes, subito in summa debilitate atque lassitudine fame canina, quae dicitur, vulgaris, duri, non recentis panis domestici corriperentur, atque vomitus post captum hunc cibum, quo magnopere se refectas dicebant, actutum finiretur atque etiam rediens hoc pane solo in perpetuum depelleretur. Praeterea medicus curam suam ad id convertat, ut alvum gravidae aut quotidianam conservet, aut desinentem clysmatis emollientibus, hisque non prospere succedentibus, lenibus medicamentis, fortasse ex tamarindis cum sale medio componendis, ducat. Remedia purgantia drastica ne praescribas cave, quod non modo malum augent, sed etiam alia mala afferunt; neve medicamenta oleosa, e. g. oleum ricini, adhibeas, quod haec quoque vomitum augere solent. Aciditatem gravidarum magnesia et alia ejusmodi medicamenta consumunt. Ad auctam ventriculi tractusque intestinorum irritabilitatem deprimendam modo tinctura castorei russ., modo liquore ammonii succini, modo valeriana pro medicamentis internis, prout res poscunt, aut solis, aut permixtis cum additamento tincturae opii,

sive in aqua aromatica, sive in decocto althaeae utare. Contra, ubi sensibilitas nimis aucta apparet, extractum hyoscyami, vel etiam aqua amygdalarum amararum cum prospero successu dari possunt. Multi autem praeter haec medicamenta lactucarium magnopere laudant atque probant, quod in aqua aromatica dissolvitur. Extrinsecus fomentationes vini calefacti scrobiculo cordis imponantur, praeter quas medici quum oleo hyoscyami et unguento opii, tum calidis lavationibus utuntur. Pro potu gravidis infusum melissarum, sive menthae piperitae, sive cinnamomi detur.

VOMITUS EX NIMIA PLETHORA ABDOMINALI GRAVIDARUM.

Non difficilis est ad distinguendum, habitu causisque accedentibus diagnosin medico facilem reddentibus. Hoc vomitus genus, ex nimia plethora abdominali natum, multo rarius est priore, saepiusque cum conditionibus inflammatoriis complicatum reperitur.

CURATIO.

Medicus obstetricius imprimis venae sectionem sine ulla dubitatione adhibeat. Namque medicorum quorundam imperitorum sententia, qui foetus vitam detractione sanguinis opprimi putent, non modo pro nihilo habenda, sed etiam plenior venae sectio majusque orificium facienda sunt, ut sanguis unius fluminis instar effluat. Porro usus alicujus aquae salisve amari, magnesiae sulphuricae praescribendus est. Quamvis hac medela adhibita et vomitus plerumque facile sanetur et sensus communis restituatur, tamen attentissimum esse medicum necesse est, quod non raro paulo post renascitur.

Vomitus ex vitiosis conditionibus gravidarum sive organicis sive mechanicis originem ducens, perquam rárus est. Pro causis ejus obsoletae stercoris accumulationes, compressiones viscerum, pressus tumoribus interioribus procreatus, omnis coalitus, praecipue omenti sive partis intestinorum cum utero, habentur, nec saepe vera hujus vomitus diagnosis inveniatur, qui saepissime, praecipue coalitu

omenti partisve intestinorum cum utero exstante, morte finitur. Dolendum est, quod ars curam huic morbo respondentem nondum praebet; nam, quam adhuc adhibemus curationem, mere symptomatica est. Quod quidem medici quidam clari suaserunt, ut venter fascia involvatur, hoc remedium successu hucusque caret.

VOMITUS PARTUI ACCEDENS.

Plerumque e conditione spastica ventriculi fauciumque oritur. Saepius etiam singultus ei supervenit, quae res tamen perquam rara est. Hic vomitus non solum puerperam valde cruciat atque vexat, sed etiam partus ipsius decursum turbat, partum intolerabilem reddens, idque ea de causa, quod convulsio mox uterum ipsum corripere solet. Mulieres irritabiles imprimis atque prae omnibus hystericae intra partum vomitu tentantur.

CURATIO.

Ante omnia medico id observandum est, utrum gravida e sanguinis abundantia laboret, an ad con-

gestiones propensa sit. Utrique conditioni venaesectio cum opportuna diaeta respondet: ad usum internum aegrotae medicamenta antispastica praescribas, ex quibus extractum hyoscyami et aqua amygdalarum amararum et, quae non modo saluberrimam, sed etiam decretoriam vim habet, tinctura opii principem locum tenent. Si autem, quod non est rarum, accidat, ut vomitus in vehementem et continuam vomituritionem convertatur, quae puerperae facile spatio perquam molesta fit, medici clarissimi et potione Riverii cum tinctura opii utendum et passim, si conditiones ejusmodi sint ut suadeant, etiam pulveri aërophoro confidendum esse docent. Extrinsecus blandae frictiones quum omnino ex linimentis, tum ex oleo hyoscyami cocto praecordiis applicentur; vestes ex lana oleis calefactis madefactae regioni praecordiorum imponantur; quam maxima quies aegrotanti ad animi conturbationem placandam detur; si qua sunt, quae earum animos perturbatura atque exacerbatura sint, summopere vitentur; interdum etiam fomenta ex herbis aromaticis, quibus vinum adjectum sit, regioni abdominali admoveantur, opium clystere injiciatur; denique lavationes calidae, quarum succes-

sum saepe mirabere, prae ceteris instituantur. Si vomitus sub finem partus perdurat, si accessiones graviores atque asperiores fiunt, medico obstetricio partus ex arte legis faciendus est, sed non prius, quam summa cum cura omnes rationes spasmo cohibendo inservientes advocatae sunt.

In quinto partus stadio vomitus indicium placentae incarceratae ac vehementis convulsionis praebet, quam ob rem medicus obstetricius quam libet operationem quoquo modo vitare studeat, neque eam nisi omnibus remediis antispasticis antea impensis suscipiat.

Vomitus puerperio accedens semper prodit, etiam alias vitiosas conditiones, e. g. aut inflammationem, aut febrem gastricam puerperio supervenisse, secundum quorum morborum signa principalia medico curatio instituenda est.

VITA.

Ludovicus Ferdinandus Guilelmus Thym Dammii, quod oppidum in Pomerania situm est, die XVIII mensis Maji anni MDCCCX natus sum patre Carolo, medico militari, cujus mortem mihi nimis maturam aeque ac matris maxime adhuc lugeo. Neque unquam ego per totam vitam manes carissimorum parentum summa cum pietate prosequi desinam.

Primis litterarum rudimentis in gymnasio Sedinensi, fratre natu majore educationis meae custode, cui nunquam maximas, quam possum, gratias curae fideique tum temporis mihi navatarum non habebo, imbutus, patre beato optante undeviginti annos natus huc me contuli, examineque legitimo absoluto civibus academiae medico-chirurgicae Berolinensis adscriptus sum, ubi per duos annos interfui scholis: Beat. Rudolphi de encyclopaedia et methodologia medicinae, de osteologia, de anatomia corporis humani universa et speciali, de arte cadavera rite secandi, de entozois; Ill. Schlemm de angiologia, neuralgia et splanchnologia; Cel. Wolf de logice; Ill. Link de botanice, historia naturali; Cel. Turte de chemia; Cel. Kranichfeld de anthropologia, de hygieine; Beat. Hufeland de pathologia et therapia; Beat. Sundelin de materia medica.

Anno secundo confecto res familiares me coegerunt, ut domum redirem. Auctumno anni 1836, rebus domesticis compositis, mihi testimonium maturitatis Gedani nacto Gryphiam petere licuit, ubi in civium academicorum numerum

ab Ill. Hornschuh, t. t. Rectore Magnifico, receptus atque ab Ill. Seifert, t. t. Decano spectatissimo, in album medicum inscriptus sum. Ibi me per unum semestre docuit: Ill. Seifert medicinam forensem et artem obstetriciam; Ill. Berndt morbos infantum, pathologiam et therapiam specialem; Beat. Kneip aciurgiam et chirurgiam. Nec minus clinica ambulatorium et hospitale Ill. Berndt, chirurgicum Beat. Kneip frequentavi.

Hinc iterum Berolinum me contuli civibusque academicis adscriptus, clinicis tam medicis quam chirurgicis Vv. Illustrissimorum de Graefe, Wolff, Truestedt interfui. Posthac tentamine philosophico absoluto, anno 1839 Decano Ill. Wagner primam tentaminis medici partem superavi, cum res adversae me studiis meis eriperent.

Proximo demum anno et aliorum virorum amplissimorum et gratiosi medicorum ordinis humanitas atque clementia studium vitamque mihi reddidit. Denuo enim ab Ill. Hecker, Rectore magnifico, in civium academicorum numerum et ab Ill. Wagner, Decano maxime spectabili, in album medicum relatus sum. Interfui autem per haec tria semestria exercitationibus clinicis Vv. Illustrissimorum Wolff, Wagner, Busch, Dieffenbach, Romberg.

Omnibus hisce viris benevolentissimis optimeque de me meritis gratias quam maximas ago, neque unquam eorum memoriam summa cum pietate venerari desinam.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero fore, ut hac dissertatione cum thesibus palam defensa, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Tuberculosis idem morbus ac scrophulosis.
2. Pro varietate climatis syphilis variam poscit curationem.
3. Diabetes non renum morbus, sed cachexia.
4. Dentitio non est morbus.
5. Syphilis sine mercurio sanari potest.